DISSERTATIO BOTANICA DE BORBONIA

♦

THUNBERG

Smithsonian
Libraries and Archives

Conserved with funds from
Keith Boi, in memory of
Kathy Anne Boi

DISSERTATIO BOTANICA
DE
BORBONIA.
QUAM
VENIA EXP. FAC. MEDICÆ UPSAL.
PRÆSIDE
CAROL. PET.
THUNBERG
EQUITE AURAT. REG. ORD. DE VASA,
MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LOND HOLM. SOCIET. SCIENT. UPS. PHILAD. PATR. HOLM. ET CIV. OECON. FINL. BEROL. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENKENS. LUND. HARLEM. AMSTELD. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS. TICINENS IENENS. LINN. LONDIN. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. WETTERAW. NANCIENS. MED. PARIS. EMUL. MONSPEL. MED. MATRITENS. MEDIC. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO-CHIR. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION. MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

P. P.

CAROL. DAN. v. HAARTMAN

NOBILIS FENNO.

IN AUDIT. BOTANICO D. XV JUN. MDCCCXI.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

LITTERIS TYPOGRAPHORUM ACADEMIÆ
STENHAMMAR ET PALMBLAD.

Smithsonian Institution,
RICHMOND
COLLECTION.
C. 202962
National Museum.

OPTIMO PARENTUM

FILII PIETAS.

CAROL. DAN.

583.931
T54
QK
495
L52
T54
1811
SCNHRB

BORBONIA.

I. §.

Nullam fere crederes terreſtri in Orbe regionem, ita ſterilem, ita vel Solis ardore deuſtam, vel frigoris duritie vaſtatam, quin nonnullam ſaltem nutriat plantam, et quidem ſingularem ſibique propriam, nullibi alias huc uſque inventam. Suo in ſinu frigidiſſima Islandia plantam, quæ ab hac ſub Arcto ſita inſula denominatur, valde puſillam fovet, KOENIGIAM. Aromata omnium pretioſisſima, non niſi ſub Sirio ardente in Inſulis Moluccis quærenda erunt. Nec pauca nobis reliquit plantarum rarisſimarum Genera, inſularum triga Japonia, ſeu potius Nifon dicta. Sed rapimur in admirationem, ingentem illam conſiderantes multitudinem, non modo herbarum ſed et arborum, quas præterlapſis ultimo Decenniis, in America inprimis meridionali, in Aſia et terris Auſtralibus quæſivit, indagavit, collegit, deſcripſit celeberrimorum Peregrinatorum indefesſa induſtria.

Inter hæc tam numeroſa, quam generi humano utilia inventa, non ultimum ſibi locum vindicare videtur amplisſima, proque amplitudine ſua forſan minus habitata Africa, quæ plantarum Genera non modo propria nutrit plurima, ſed facie quoque et externo habitu adeo ab aliarum regionum Vegetabilibus disſimilia, ut non minus, quam ipſi crinibus criſpatis homines, primo intuitu ab aliis facile dignoſcantur frutices, arbuſta ipſaque gramina.

Exploratum indefesſis præſertim celeb. PRÆSIDIS aliorumque itineribus Promontorium ſic dictum *Bonæ ſpei* ejusmodi Genera, æque numero multa ac quidem valde ſingularia, intra Seculi ſpatium, Curioſis Botanicis communicavit, quorum plurimæ adhuc ſpecies, parum et vix niſi nomine notæ ſunt, vel in Prodromo *Floræ Capenſis* Illuſ. PRÆSIDIS breviter recenſitæ, vel exinde in Generibus et Speciebus, a Celeb. Botanicis editis introductæ, ſæpius vero abſque ulla deſcriptione.

II §.

Ad alia ante nota Genera, Geniſtam, Spartium et Crotalariam Varii Auctores ſpecies Borboniæ diutius notas retulerunt, uti RAJUS, PLUKENETIUS, COMMELINUS, TOURNEFORTIUS, quin et ipſe LINNÆUS. Hic vero felicisſimus Noſter, Scientiæ Botanicæ Reformator, in Horto Cliffortiano Genus Borboniæ primus adoptavit ac determinavit, ex duabus ſibi notis in Horto nuper dicto cultis ſpeciebus, *trinervia* ſcilicet et *lanceolata*, quarum icones, licet minus bonas, inprimisque prioris, jam dudum dederat Meritisſimus PLUKENETIUS. Deinde ſenſim innotuerunt BORBONIA *ericifolia*, *ciliata*, *cordata* et *crenata*. Reliquas notas reddidit Celeb. PRÆSES in Prodromo *Floræ Capenſis*, nimirum *perfoliatam* et *undulatam*, quibus hodie ex Herbario locupletisſimo hujus Academiæ, addimus *ſerrulatam*, cum adjunctis iconibus *hujus*, *perfoliatæ* atque *undulatæ*, ut non modo ſit ſpecimen noſtrorum in Amabili æque ac utili Scientia Botanica progresſuum, ſed etiam, quo uſque fieri poteſt, apud Te, benigne Lector, aliquam ineamus gratiam.

DSI

III §.

III §.

Character Genericus.

Cal. *Perianthium* monophyllum, quinquefidum, corolla duplo brevius: *laciniæ* lanceolatæ, acuminatæ, rigidæ, pungentes, ſubæquales, infima paulo longiore.

Corolla: *Filamenta* decem, coalita in cylindrum, ſuperne longitudinaliter dehiſcentem, apicibus asſurgentia.

Antheræ parvæ.

Pist. *Germen* ſubulatum. *Stigma* obtuſum, exciſum.

Stylus breviſſimus, adſcendens.

Peric. *Legumen* oblongum, acuminatum, ſpina mucronatum, uniloculare?
Semen reniforme.

Character Specierum.

* foliis *lanceolatis.*

1. B. *ericifolia:* foliis lineari-lanceolatis ſubtus villoſis.
2. B. *trinervia:* foliis lanceolatis glabris trinerviis.
3. B. *lanceolata:* foliis lanceolatis glabris multinerviis.

* * foliis *cordatis.*

† foliis integris:

4. B. *perfoliata:* foliis cordatis integris reticulatis.

5. B.

5. B. *cordata*: foliis cordatis integris multinerviis.

6. B. *ciliata*: foliis cordatis integris multinerviis ciliatis.

† † foliis dentatis:

7. B. *undulata*: foliis cordatis undulatis mucrone roflexo.

8. B. *crenata*: foliis cordatis multinerviis denticulatis.

9. B. *ſerrulata*: foliis cordatis multinerviis ſerratis.

V §.

Deſcriptiones Specierum.

1. B. *ericifolia*. *Caulis* ſubvilloſus.

Folia alterna, ſublinearia, enervia, ſupra glabra, ſubtus villoſa, margine revoluta.

Flores capitati, capitulis terminalibus.

Obſ. Hæc unica eſt ſpecies, quam invenire et examini accuratiori ſubjicere non contigit Celeb. Præsidi.

2. B. *trinervia*. *Caulis* fruticeſcens, totus glaber, erectus, ramoſus, tripedalis et ultra.

Rami ſparſi, erecti, laxi.

Folia, ſparſa, ſeſſilia, lanceolato-elliptica, mucronata, pungentia, integra, glabra, trinervia, patentia, ungvicularia.

Flores in ramulis terminales, ſolitarii, lutei.

3. B. *lanceolata*. *Caulis* fruteſcens, totus glaber, erectus, parum ramoſus, pedalis.

Ra-

Rami pauci, erecti, ſimplices.

Folia ſparſa, ſesſilia, lanceolato elliptica, mucronata, pungentia, integra, glabra, multinervia, plerumque ſeptemnervia, imbricata, interſtitiis longiora, ungvicularia.

Flores terminales, ſubumbellati, plurimi, pallide-lutei.

Pedunculi brevisſimi, glabri.

Calyx ſtriatus, glaber, laciniis mucronato-pungentibus.

Corollæ tomentoſæ.

4. B. *perfoliata.* *Caulis* vix fruticoſus, totus glaber, ramoſus.

Rami et Ramuli alterni, filiformes, fuſci, glabri, flexuoſo-erecti.

Folia alterna, amplexicaulia, cordata, ovata, acuta cum mucrone, integra, glabra, reticulato-nervoſa, patula, inæqualia, ungvicularia, uſque pollicaria.

Flores axillares, breviter pedunculati, ſolitarii, lutei.

5. B. *cordata.* *Caulis* fruticoſus, curvato-erectus, villoſus, ſuperne ramoſus, bipedalis.

Rami patuli, ſimiles, ſubfaſtigiati.

Folia alterna, ſesſilia, cordata, ovata, ſpinoſo-mucronata, glabra, multinervia, integra, imbricata, pollicaria.

Flores terminales, umbellati, ſubquini.

6. B.

6. B. *ciliata.* *Caulis* vix fruticeſcens, decumbens, ramoſus.

Rami et *Ramuli* alterni, filiformes et capillares, curvi et flexuoſi, glabri.

Folia alterna, amplexicaulia, cordata, ovata, obtuſa cum mucrone, integra, coſta et margine ciliata, inæqualia, ungvicularia, uſque pollicaria.

Flores in ramulis terminales, ſubumbellati, lutei.

7. B. *undulata.* *Rami* filiformes, purpuraſcentes, glabri.

Folia alterna, amplexicaulia, cordato-ovata, acuta mucrone reflexo, undulata, convoluta, glabra, vel rarius piloſo nervoſa, ungvicularia et ultra.

8. B. *crenata.* *Rami* alterni, rufeſcentes, patenti erecti, breves.

Folia alterna, amplexicaulia, cordata, rotundata, acuta, denticulata, multi-nervia, reticulato-venoſa, glabra, inæqualia, ſubpollicaria.

Flores capitati, lutei.

9. B. *ſerrulata.* *Caulis* fruticoſus, glaber, erectus, ramoſus.

Rami trigoni, alterni, ſubſimplices.

Folia omnino ut in B. *cordata* ſed margine glanduloſo-ſerrulata.

VI §.

Synonyma

in Speciebus Plantarum, quas edidit Celeb. WILDENOVIUS,

vius, facile obſervantur enodata, adeoque hæc indicasſe ſatis eſse credimus, ſcilicet:

B. *ericifolia*, et *trinervia* Tom. 3. Part. 2. p. 922.

B. *lanceolata*, *perfoliata* et *ciliata* ibid. p. 923.

B. *undulata*, *cordata*, et *crenata* ibid. p. 924 et 925.

VII §.

Locus.

Creſcunt omnes et ſingulæ Borboniæ in Capite *Bonæ ſpei*, plerumque locis montoſis et in collibus ſub montibus ſitis; ſpeciatim vero *lanceolata* extra urbem Cap, infra Taffelberg vulgaris: *ciliata* ad Rode Sand et Winterhoek: *cordata* ſub Duyvelsberg et juxta Drakenſtein.

VIII §.

Floreſcendi

tempus incidit in Septembris menſem, continuata floreſcentia per quatuor circiter inſequentes menſes.

IX §.

Uſus

fruticulorum Borboniæ parum nobis notus et exploratus in eo præcipue conſtare videtur, ut floribus ſuis elegantibus loca ſterilia montoſa exornent, nutrimento inſerviant inſectis et nonnullis aliis animalibus, atque Hottentottis pro foco alendo.

THESES.

I.

Hiſtoriæ Naturalis notionem nemo ſane meditando vel legendo capiet perfectam; relictis librorum catervis, Ipſa inveſtiganda et contemplanda erit Natura.

II.

Ex itineribus igitur magnam et civitatibus et Scientiis emanaſse utilitatem, nemo infitias ibit; licet noxia aliquo ſaltem reſpectu ea, contendere haud dubitamus.

III.

Nomina nimis polyſyllabica plantarum, uti tædioſa nec necesſaria, quisque fugiet Scientiæ Botanicæ amator.

IV.

Non posſumus igitur quin nomina, qualia ſunt rosmarinifolia, tanacetifolia, coronopifolia, et millia ejusdem generis ſimilia, reprehendamus.

BORBONIA.